



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Quintum. Encomium Marianum Quintum. Mater Divinæ Gratiaë.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

ciosum forma præ filijs hominum libebat, satis
 licebat, numquam faciem avertebat, num-
 quam matrem repellebat. Et si fortè impatien-
 tia desiderij eram nimia, ipse tamen more suo
 morem matri gerebat. Gaudebat eam replere
 gratiã quæ diffusa erat in labijs ejus, & dulce-
 dine quã totus plenus erat, totus concupiscentia
 & desiderium castarum scilicet animarum.
 Unde sicut ipse de se confitetur. Qui edunt me
 adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient:
 quantò gratiam oris illius gustavi sua vius, tan-
 tò nimirum repeto nunc ardentius. Ex quib⁹
 profectò licet colligere hujus divinissimæ
 matris erga filiolum suum amorem ut non
 immeritò per sapientem Eccl. 24. dixerit
 se esse matrem pulchræ dilectionis, &c. Sed
 jam ad alia properemus.

CAPUT QUINTUM.

Encomium Marianum Quintum.

MATER DIVINÆ GRATIÆ.

INter alias prærogativas quas dulcissimo
 Inomni *MARIÆ* supra convenire dixi-
 mus, hæc una erat quod ipsum quinq; si-
 gnificatio-

gnificationes habeat : Inter quinque has una est quod significet Mare, hinc si secundam in nomine *MARIAE* corripias & abbrevies maria significantur. Est autem mare juxta *Berchorium* lib. 8. Reductoriij sui moralis, *congregatio & locus omnium aquarum, tam dulcium quam amararum* conformiter ad verba *Genesis*, *congregationes aquarum appellavit maria.* Et quamquam mare omnium fluviorum fontium & aquarum multitudinem recipiat numquam tamen impletur aut redundat juxta illud *Eccl. 1. Omnia flumina intrant in mare & tamen mare non redundat.* Et hujus rei causas assignat *Isidorus* lib. 13. *vel quia propter suam magnitudinem aquas ibi influentes non sentiat, vel quia aquae ejus amare aquas alias dulces influentes consumat vel quia ipsa concavitas nubium multam aquositatem ad se attrahat, &c.* Attendamus jam mare illud mysticum virginem gloriosam, profectò est receptaculum & locus omnium fluviorum, fontium, aquas gratiae divinae in se recipiens nimirum quia tanta est ejus capacitas, dignitas & latitudo, ut similis illi inveniri nequeat. Hanc ejus capacitatem
divina

divinarumque gratiarum affluentiam declarare cupiens nuntius cælitus missus Archangelus *Gabriel*, *Ave* inquit *gratia plena* super hæc verba *D. Ambrosius* (lib. 2. in *Luc.* cap. 2. in tom. 5.) *bene* inquit *gratia plena sola dicitur que sola gratiam, quam alia nulla meruerat consecuta est ut gratia repletur auctore.* Et *S. Hieronymus* *Epist.* 140. tom. 3. ad *Principiam* virginem *Sancta MARIA* ait quia *conceperat eum in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter plena gratia salutatur.* Et *Eusebius Emisenus* in *Evang. Lucæ* de *Angelica salutatione & Annunciatione.* *Quis* ait *unquam tantam gratiam habuit quantam MARIA virgo?* *Alijs enim ad mensuram datur, hæc autem gratia plena dicitur.* Et denique *Gregorius Neocesariensis*, *serm.* de *Annunt. virginis*: *Gratia* inquit *plena, quia cum hac totus thesaurus gratia repositus erat. Ex omnibus enim generationibus hæc sola virgo sancta corpore & spiritu fuit: Sola fert eum qui verbo portat omnia.*

Hanc divinæ gratiæ plenitudinem sacræ scripturæ verbis declarans, ipsamet beatissima Mater viti se comparat iniquiens *Eccles.* 24. *Ego quasi vitis fructificavi*
suavita-

suavitatem odoris. Notant autem tum naturalistæ, tum SS. Patres hanc inter vitem aliasque plantas & arbores differentiam inveniri, quod vitis non habeat suæ magnitudinis & excrescentiæ terminum: Aliæ enim arbores crescunt in determinata quantitate: Oliva tantam attingit quantitatem, & non majorem: Cypressus tantum crescit, & non amplius, Platanus tantum, & non amplius, & sic de alijs arboribus: Sola vitis uti experientia docente comperimus, non haber tam determinatam crescendi quantitatem: sed tantum & ultra crescere potest secundum quod ipsi majus vel minus apponitur fulcimentum, hinc secundum majorem vel minorem diversitatem, major vel minor est vitis. Beatissima Mater ergo se viti comparavit ut affluentiam divinarum gratiarum & plenitudinem manifestaret, nam sustentaculum hujus vitis est Deus, quod est prorsus infinitum: Quamobrem *Ambrosius* explicans prærogativas hujus beatissimæ matris & abundantiam divinorum charismatum ejus, admiratur una cum Angelis: *Quæ est ista inquit de deserto delicijs affluens*

affluens

affluens innixa super dilectum suum cant. 8. ejus loco legit ipse. Quæ est ista quæ ascendit sicut vitis propago innixa super dilectum suum: Bernardus considerans verba Angeli ad beatam virginem: Ne timeas MARIA invenisti gratiam apud Dominum: quantam gratiam? Quærit: & respondet gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem an generalem? utramq; sine dubio, quia plenam & eo singularem quo generalem, ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eò inquam singularem quò generalem, nam sola præ omnibus gratiam invenisti. Singularem quod sola hanc invenis plenitudinem: generalem quod de ipsa plenitudine accipiant universi.

§. I.

VARIAS autem causas & rationes tantæ divinarum gratiarum affluentia plenitudinis & redundantia in beatissima hac virgine assignant SS. Patres. Primam hujus rationem & causam assignat Doctor Angelicus 3. cap. quæst. 27. artic. 5. quia *quantò aliquid magis appropinquat primo principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum & influxum illius principij: sicut qui magis accedit ad ignem magis calefit, & qui magis*
appro-

appropinquat ad solem magis illuminatur, quia
nimirum ignis caloris, & sol luminis principia
sunt; ergò quò magis quis diuina accesserit ma-
jestati, tanto magis ejus sanctitatem & gratiam
consequenter debet participare. Ipsa enim est
primum & essentielle sanctitatis & gratie prin-
cipium, sicut Christus secundum diuinitatem
quidem authoritative secundum humanita-
tem verò instrumentaliter est gratie princi-
pium juxta illud Ioan. 1. Gratia & veritas per
IESVM Christum facta est: Dicit autem Dio-
nysius libro de caelesti Hierarch. cap. 4. quod
Angeli qui sunt DEO propinquiores (dignitate
scilicet) quam homines, magis participant de
bonitatibus diuinis quam homines: beatissima
autem Virgo MARIA ut prosequitur Doctor
Angelicus propinquissima fuit Christo secun-
dum humanitatem, quia ex ea accepit huma-
nam naturam, imò tanta est MARIÆ ad Chri-
stum propinquitas ut sint quodammodo una ca-
ro juxta illud S. Augustini, Caro Christi, Caro
MARIÆ. Et ideo præ cæteris majorem
debit à Christo obtinere gratiæ plenu-
dinem. Hanc ob causam D. Hieron. expli-
cans illud Luc. 1. Ave gratia plena: Bene in-
quit plena, quia cæteris per partes præstatur,
MARIÆ

MARIÆ vero se totam simul infudit gratia plenitudo. Ac si manifeste dicat: secundum quod est mater Dei plene appropinquat Deo fonti gratiæ & hinc plenitudinem gratiæ obtinere debebat.

Ad majorem hujus elucidationem conducit Regula, quam pro explicatione plenitudinis gratiæ quæ fuit in Bñâ matre. Alph. refert Salmeron. In corpore inquit Christi mystico Christus locum capitis habet: omnes autem fideles rationem membrorum inter caput autem & membra intercedit collum, & cum cetera membra de more tegantur & quò nobiliora sunt eò majori honore circumdantur: Solum tamen caput cū facie quæ in eo sita est & collum minime teguntur sed nuda & aperta manent: ad hunc sanè modum Christus qui caput est & MARIA quæ collum est in corpore mystico, utpotè propinquissima primo principio Christo ut dictum est veste operiente non egent: quia cum ceteri homines peccato tum originali tum personali sunt maculati, solus Christus cum matre sua ab omni prorsus criminis labe alieni gratiæ pleni inveniuntur, ita ut nudi per se placeant Deo & Angelis ejus. Deinde aptissime per collum reprehensatur beatissima Virgo: Nam

go: Nam quemadmodum in collo monilia gemme torques ac pretiosi lapides appenduntur, ita Christus in *MARIA* matre sua & sponsa omnia dona gratiarum, omnes virtutes, omnesque perfectiones reposuit: de ipsa namque illud canticorum intelligi potest, *sicut turris David collum tuum quæ edificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent, ex ea omnis armatura fortium*, quia omnes virtutes, quæ in virgine excelluerunt, fortissima sunt propugnacula ad omnia tela inimici mundi & carnis propulsanda. Ulteriùs bene comparatur beatissima mater collo, quia omnis virtus capitis sensui & motui corpori serviens, cibusque ipse quo vitam tuetur medio collo in corporis membra descendunt: sed & omnes membrorum fumi, vapores & spiritus ad caput minimè ascendunt, nisi medio collo: eadem ratione universarum gratiarum dona & beneficia non nisi per *MARIAM* Virginem mediam ad nos descendunt; Nam summum ac potissimum Dei donum quod est ipse Christus, non nisi per illam nobis donatum est. Ut sic intelligamus & alia bona interiora per ipsam ad nos descende-

H

re juxta

re juxta quod ait *Bernardus quidquid habemus voluit nos habere per MARIAM*. Ipsa namque est collum & organum, quod mediat inter nos tanquam membra & Christum ut caput nostrum, ut proinde omnia per ipsam transire debeant: ita *Bernardus Altius* inquit *intueamini quantò devotionis affectu eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in MARIA ut proinde si quid spei si quid salutis ab ea noverimus redundare quæ ascendit delicijs affluens.*

§. 2.

SECUNDAM causam hujus plenitudinis, & abundantia gratiarum adducit *Laurentius Justinianus*, ferm. de Nativit. Virginis: eò scilicet quod Deus tantò majorem conferre dignoscitur gratiam, & excellentiora dona quantò plus diligit: sicuti & Imperatores & Reges tantò majora bona tantò majores divitias, favores & honores solent conferre alicui, quantò eum magis diligunt; Amor enim est communicativus & liberalis: operatur magna, si magnus est; *si enim renuit operari, amor non est*, uti ait *S. Gregorius*: Et quia ut ait *Dionysius Carthus.* *Amare est alteri bonum velle, quantum autem*

tem

tem Christus ex alijs creaturis Matrem suam diligebat, quis sermone explicare queat? quis explicare valeat amorem, quotalis filius talem matrem amabat, matrem verè amabilem, & super omnes creaturas pulcherrimam? *Plus* ait jam citatus *Laurentius Iustin. filius Dei matrem in instanti sue Conceptionis dilexit, quam ullum Angelum vel ullum hominem*: Consequens ergò fuit ut tanto amori & dilectioni proportionatus & conformis responderet effectus & gratia, ipsaque majorem haberet gratiam quam ullus Angelus vel homo; Imò quidquid gratiæ alijs Sanctis, vel viris, vel fœminis legimus esse concessum, id totum nobilius ac eminentius virgini matri concessum esse, asserendum est. Quædam etiam quæ nulli alteri competunt, modo constet Deum posse & decere donare atq; illam posse accipere, dedisse ne dubites: *nimirum multa filia congregaverunt divitias, hac supergressa est universas, sexaginta sunt Regina, octoginta concubinae & adolescentularum non est numerus. Vna tamen est columba mea* (ait cœlestis sponsus in canticis cap. 6.) *perfecta mea una est matri sue electa genitrici suæ.*

H 2

Viderunt

Viderunt eam filie Sion & beatissimam prædicaverunt : Regina & concubina & laudaverunt eam. Deus siquidem universi conditor & nobilissimus pictor quidquid pulchrum, quidquid laude dignum, quidquid gratiæ singularis in alijs sive viris, sive fœminis elucebat, in una sanctissima virgine sapientissimè effinxit, & quasi pictura quadam pulcherrima reddidit. Ceteris per partes gratia præstatur inquit D. Hieronymus, MARIÆ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Idem docet Ioannes Damasc. quem admodum inquit vetus Anna sterilis facta per votum & repromissionem habuit Samuelem, hunc in modum & hæc (loquitur de S. Anna uxore Ioachim & virginis matre) per supplicationem & repromissionem à Deo Deiparam profert ut & in hoc nulli illustrium fœminarum & gloriosarum posterior habeatur. Ex quibus verbis ait Salmeron habes beatissimam virginem non illustrium fœminarum posthabendam, sed quidquid illis legimus fuisse concessum id statim eminentiori modo beatissime virgini donatum intelligamus.

S. 3.

AD confirmationem eorum quæ dicta sunt apprime inseruit & convenit, id quod legitur in theatro vitæ humanæ. Quod nimirum coram Rege Angliæ vice quadam celebrata fuerint comitia generalia in quibus cuncti totius regni comparuerunt Principes & Duces, quorum quilibet in proprio scuto depicta gerebat insignia, pulchra & splendida singulorum exprimentia virtutes & gesta heroica. Alius myrrham depictam gerebat, quâ suam in ferendis adversis & tribulationibus constantiam & fortitudinem. Alius storacem, cujus optimus est odor, ut suam famam integerrimam & undique bene redolentem ostenderet. Tertius comparebat scuto suo balsamum in pictum gerens, ut quemadmodum balsamum sese diffundit ex arbore Cinnamomo, ex hoc ille suam in egenos liberalitatem monstraret. Quartus aquilam gerebat, ex hoc magnitudinem suæ proficiæ significare intendens & generositatem, ut sicut aquila non capit muscas, & vilia animalcula, sic nec ipse curaret viles & debiles, sed fortes hostes ge-

H 3

neroso

neroso animo invaderet & debellaret. Alij denique alias suarum virtutum figuras in insigni depictas gerebant. At inter alios tandem prodijt generosus & heroicus quidam princeps, qui omnia aliorum insignia suo uni inscripta gerebat: scutum enim ejus & myrrham & storacem balsamum aquilam, &c. præferebat, cum adjunctis hisce verbis: *In me omnia.* A profana ad sacram si placet transeamus historiam. Videte mihi jam non unius exigui terreni sed cælestis Regis cæli terræque conditoris & Monarchæ permagnificum ac celeberrimum aulicorum conventum, de quo Daniel, cap. 7. v. 9. *Ecce inquit throni positi sunt & antiquus dierum sedit vestimentum ejus ut nix candidum, & pilus capitis ejus ut lana munda: thronus ejus flamma ignis, rota illius ignis ardens. fluvius igneus procedebat, egrediebaturque à conspectu ejus, millia millium ministrabant ei: & decies millies, centena millia assistebant ei.* Inter hos inquam ministros & cælestes aulicos primo loco comparent Apostoli galbanum pro insigni gestantes propter gloriosissimam victoriam de inimicis suis reportatam. Comparent secundo

cundo loco invicti Christi pugiles & martyres myrrham constantiæ in tormentis & supplicijs insigni suo præferentes : Comparent tertio tot gloriosi Confessores & Pontifices balsamum summæ liberalitatis quâ omnia pauperibus erogarunt, symbolum præferentes. Comparent sanctissimæ virgines rosam virginitatis symbolum monstrantes. Comparent denique alij tum Cherubim, Seraphim, Throni, Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, alia symbola inuentium oculis obijcientes. At post omnes hos procedit Augustissima cælorum Imperatrix, tota splendidissima, pulchra ut luna, electa ut sol, nec unum tantum ex præactis, sed omnia & singula, insigni suo depicta præfert : proprio id ipsamet ore confitetur totiq; mundo declarat Ecc. 24. *ego inquit quasi cedrus exaltata sum in Libano, quasi oliva speciosa in campis, & quasi plantatio rose in Iericho : Sicut Cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: quasi storax & galbanus & quasi balsamum non mixtum odor meus.* Et quia omnia sua dona & virtutes heroicas nec ipsamet explicare suffi-

cit subjungit tandem : *In me omnis gratia
 via & veritatis, in me omnis spes vite & vir-
 tutis, Eccl. 24. v. 25. Summa sive ut unico
 verbo complectar : In me omnia ut con-
 gruentissime dixerit mellifluus Bernardus
 ferm. 4. super Salve Regina : Nihil est virtu-
 tis quod in te non resplendat, & quidquid sin-
 guli habuere sancti, tu sola possedisti . Ipsa
 etenim est dignior Evâ, doctior Maria sorore
 Moysi, verecundior Sara, amabilior Rebecca,
 fœcundior Lya, Rachele pulchrior, Abigail pru-
 dentior, major Regina Saba, fortior Iudith,
 gratiosior Hester, castior Susanna, diligentior
 Sunamitide, hospitalior vidua Sarephana,
 sanctior Anna quæ perpetuo orabat in templo,
 humilior Chananea, officiosior Martha : Con-
 templationi & audiendo verbo Dei magis in-
 tenta, quam Maria soror Martha. Ipsa vin-
 cit Angelos puritate, Prophetas sanctitate, A-
 postolos dignitate, Martyres constantiâ, Docto-
 res sapientiâ, Confessores abstinentiâ, Virgines
 pudicitiâ, Religiosos humilitate & obedientiâ:
 Unde Bernardus ferm. super verba Apocal.
 Signum magnum explicans verba in plenitu-
 dine sanctorum detentio mea . Benè inquit
 in plenitudine sanctorum MARIÆ detentio
 fuit,*

fuit, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fœcunditas conjugatorum, insuper & puritas Angelorum. Denique alij sunt nobiles, alij divites, alij docti, alij fortes, alij prudentes, alij casti, atq; alij alias virtutes habent, hæc complectitur universas.

§. 4.

Tertio probatur hæc plenitudo gratiæ in beatissima matre ratione quam adducit D. Thomas parte 3. quæst. 27. artic. 5. ad 1. Quia unicuiq; datur gratia secundū id, ad quod eligitur: unde infert, quod quia Christus Dominus in quantum homo ad hoc fuit prædestinatus & electus, ut esset filius Dei secundum illud Apostoli, qui prædestinatus est filius Dei in virtute nimirum sanctificandi, hoc fuit sibi proprium ut haberet talem plenitudinem gratiæ, quod redundaret in omnes secundum quod dicitur Ioan. 1. De plenitudine ejus omnes accepimus. Hoc & in alijs Sanctis videre licet: Quia enim DEUS deputat & elegerat Moysen, ut esset dux & antesignanus populi Israel, imo ut esset Deus Pharaonis, juxta illud Exod. 7. Ecce constitu-

tuite

tuite Deum Pharaonis: Oportebat illi quan-
dam omnipotentiam cum hoc Dei digni-
tas requirat communicari. Hanc & illi
communicavit concedens ut per virgam
suam tot ac tanta miracula soli Deo possi-
bilia patraret. Sic & Deus elegit ad A-
postolatum homines illi, muneri & officio
minime habiles: Cum enim Apostola-
tus officium doctrinam, sapientiamque re-
quireret: Erant enim Apostoli Athenis
& Romæ cum philosophis disputaturi,
cum oratoribus locuturi, eosq; convicturi
& conversuri, & quia ipsi erant illitterati
ineloquentes, simplices & idiotæ, hinc
Deus ut Apostolatus officio eis commissio
satisfacere possent, sapientiam & eloquen-
tiam dedit: *Ego inquit dabo vobis os*
& sapientiam cui non poterunt resistere omnes
adversarij vestri. Quo facto ut subtilissi-
mi etiam philosophi ac eloquentissimi o-
ratores in conspectu eorum quasi elingues
& infantes facti sint: Amplius quia Apo-
stolis necessaria erat fortitudo & robur a-
nimi ad mortem, tormenta ac omnis ge-
neris persecutiones ferendas, contra verò
ipsi timidissimi erant, ut patet dum in pas-
sione

fione Domini omnes relicto eo fugerunt, hinc eis dedit Deus fortitudinem & virtutem, tantumque robur animi, ut in media vitæ pericula irruentes, nihil trepidarent: *gaudentesque irent à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro Nomine IESV contumeliam pati.* Act. 5. Cū igitur dignitas & excellentia Matris Dei suprema post Christum dignitas sit ut supra cap. 1. ostensum est, supremam quoque gratiam tanto officio congruentem requirebat, & tantam quantam decebat habere eam quæ DEI mater ac per hoc potentissima cæli terræque Imperatrix futura erat exigebat: unde S. R. E. Cardinalis & Episcopus Ostiensis, *Petrus Damianus* term. de Annunc. *Attende* inquit *Seraphim* & *videbis quidquid majus est minus virgine est solumq; opificem istud supergredi opus:* & *B. Idiota* in contemplatione cap. 2. *ô Domina* ait *nihil tibi æquale est: omne quod est aut infra te aut supra te est. Supra te solus DEVS: infra te omne illud quod DEVS non est.*

§. 5.

CAusam tamen proximam, optimam & adæquatam adducit cælestis inter-nuncius

nuncius *Gabriel*, post verba salutationis *Ave gratia plena*, mox subjungens *Dominus tecum*, nimirū ille cū ipsa erat, qui est fons & origo omnis gratiæ. *Quid mirum* ait *Bernardus* serm. 2. supermissus *si gratia plena erat, cum qua Dominus erat*: sed hoc potius mirandum, quomodo, qui Angelum miserat ad virginem, ab Angelo inventus est esse cum virgine: *Itane velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras?* *Nec mirum*: nam cum esset Rex in accubitu suo *nardus virginis dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ ejus fumes aromatis & invenit gratiam coram oculis Domini*: statimq; rex egrediens de loco sancto suo exultavit, ut *Gigas ad currendam viam*. Et licet à summo celo egressio ejus nimio tamen per volans de siderio, prævenit nuntium suum ad virginem quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Nimirum tanto erga hanc sacratissimam virginem ferebatur desiderio unicus ille Deus, Dei & Virginis postmodum Filius, tanto in eam ferebatur amore, ut longum sibi foret tam diu expectare, donec ad se missus ad virginem nuntius rediret, ipse nuntium prævenit:

venit : Ita præter *Bernardum* jam citatum
D. Hieron. serm. de Assumpt. *Iam inquit cum*
virgine erat qui ad virginem mittebat Ange-
lum, & præcessit nuntium suum Deus, sed à
Deo non recessit, nec teneri potuit locis, qui om-
nibus habetur in locis, & totus ubique est, sine
quo nihil totum. Eodem modo *S. Augu-*
stinus serm. de Nativit. *Dominus tecum, in-*
quit Angelus & plus quam mecum : In me
autem licet sit Dominus memetipsum creavit
Dominus, per te autem genitus est Dominus:
ita est Dominus tecum ut sit in corde tuo : ad-
impleat mentem tuam. *Augustino* subscri-
bunt *Gregorius Neocæsariensis & Andreas*
Hierosolimitanus Episcopi. Et quidem
ille ponderans verba Angeli : *Dominus in-*
quit tecum, non terrenus sponsus sed ipse Do-
minus, sanctificationis pater, castitatis author,
immortalitatis dator, libertatis salutis procu-
rator, & verus pacis conservator & distribu-
tor. Qui ex terra, virgine fecit hominem, &
ex costa ejus Evam : Hic Dominus tecum &
rursus ex te : Andreas Hierosolimitanus
verò eadem verba considerans, *Dominus*
tecum ait qui est ante te, hodie tecum est &
paulò post erit ex te. *Illud quidem ab omni*
aternitate

eternitate hoc autem ex tempore. O immensam humanitatem, ô benignitatem incredibilem. Non fuit satis gaudium indicasse nisi ipsum gaudij authorem inesse virgini significaret. Illud enim Dominus tecum perspicue Regis præsentiam declarat qui sic ex ipsa corpus assumit humanum ut à propria gloria non recedat.

Sed inquiet aliquis quid mirum est Dominum fuisse cum virgine qui cum omnibus est creaturis; ex ipso enim per ipsum & in ipso sunt omnia, ipse enim est omnia in omnibus. Et juxta Apostolum: In ipso & movemur & sumus nec locus est invenibilis nec creatura est assignabilis, in qua Deus non sit velut causa in suo effectu & permaxime, quia ipse juxta Theologos est immensus & ubique, cælum & terram implens ut ipse de se per prophetam testatur: sed ad hanc quæstionem perapte respondet Bernardus loco supra citato: Deus inquit qui ubique est totus æqualiter per essentiam & suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quam in cæteris & ipsarum aliter in bonis aliter in malis est per efficaciam. Ita sane est in irrationalibus

bus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis à rationalibus omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantum, capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis: sed ita cum sit cum omnibus sanctis specialiter tamen cum MARIA, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret, qui et sine nec totus de Deo, nec totus de virgine esset, Totus tamen Dei & totius virginis esset, nec duo filij, sed unus utriusque filius. Ait itaque (pergit Bernardus) Angelus, Ave gratia plena Dominus tecum. Nec tantum Dominus filius tecum, quem carne tua induis: Sed & Dominus Spiritus sanctus tecum, de quo concipis & Dominus Pater qui genuit quem concipis. Pater inquam tecum, qui filium suum facit & tuum, Filius tecum qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo & sibi reserat genitale secretum & tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum.

Sed aliud est quod in Archangeli verbis & salutatione miratur Doctor idem

melle fluens. : Ingressus enim ad eam *A-*
ve gratia plena ait, at paulò post confortans
 trepidantem quodammodo virginem. *Ne*
timeas ait, invenisti enim gratiam apud Deum.
Quid (ait Bernard. serm. 2. de generali Dei-
 para) *Plena est gratia & gratiam adhuc in-*
venit ? Digna prorsus invenire quod que-
rit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo
potest esse contenta bono : Sed quemadmodum
scriptum est : Qui bibit me adhuc sitiet : pe-
tit super effluentiam ad salutem universitatis.
Spiritus sanctus superveniet in te, & pretio-
sum illud balsamum tantâ tibi copiâ, tantâque
plenitudine influet, ut copiosissimè effluat cir-
cumquâq; . Et infra semper ait hæc inve-
niet gratiam, & sola gratia est quâ egemus.
Prudens virgo non sapientiam sicut Salomon
non divitias aut honores non potentiâ, sed gra-
tiam requirebat. Nimirum sola est gratia quâ
salvamus. Quid ergò nos alia concupiscimus?
gratiam queramus & per MARIAM quera-
mus: quia quod querit invenit & frustrari non
potest. Queramus gratiam, sed gratiam apud
Deum, nam apud homines gratia fallax. Que-
rant alij meritum, nos invenire gratiam stude-
amus, MARIANON præ tendit meritum, sed gra-
tiam querit, quam quoq; invenit. CA.